Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 737
Quelle:
Copyright:

Praesentis porro Παρεγγα, quae supra innui, sunt: *Fol.* 1. Formulae plures adjurandi Fulgura et Tempestates, in quibus non pauca superstitiosa, puta *Incrementh* et *Mermeuth* Angelorum nomina, qui praesunt tempestatibus, item: *Matheus Marcus Lucas Johannes, quadrigę domini, cherubim et seraphim contra sagittam Lamia sit* (fortasse Lamina) *palamia sit per omne corpus meum*, item: *In Dei nomine die ac hora propter illum malannum et propter illam guttam feruentem, quod absit a fidelibus, quam dominus papa transmisit ad imperatorem, ut omnis homo super se debeat portare.* Quis morbus *malanni* et *guttae* nomine hic veniat, difficile dictu est; vario enim significatu erant illo aevo. Ejusmodi Imprecationes etiam publice propositas fuisse, liquet ex his: *Interdico tibi diabole, ut si in arbore uideris hanc scripturam meam, fuge possessionem illam a finibus et terminis* &c. Haec eleganti manu Sec. XII. *Fol.* penult. ad calcem *Augustini* eadem elegantia Τετρασιχον:

Hic iungo fini pisces tibi carmine tali.
Hechet Slie Alent Uorha Asch
Lucius & Tincus Capedo Trutta Timallus
Cresso Al Crebez Grundele
Gratius Anguille sunt hic Cancri Coronille
Huse Salmo Carpho Waler Sture
Ipocus Gamarus Carabus Balenaque Rombus.

Glossae germanicae vel hodie facile intelliguntur; verum adpellationes latinae pluribus parum conveniunt. *Ipocus* fortasse corruptum Ἱππόκαμπος fit.

Fol. verso *Incipit Passio S. Floriani Martiris.* Ita quidem: *In illis diebus sub Diocletiano et maximiano imperatoribus cum esset persecutio christianorum, quando diuersis agonibus decertantes* &c. ut apud *Bollandianos* T. I. *Maji* ad diem IV. p. 462. Phrasis nonnunquam aliquantum differt, ut v. g. in clausula, ubi nos legimus: *Acta sunt hęc apud noricumripensem loco lauriaco. aduersantibus illis diebus diocletiano et maximiano. agente uero aquilino preside. Regnante autem domino nostro ihesu christo. cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.*

Sequuntur Transsumta II. Chartarum, 1) *Henrici* Comitis *Goritiae* et *Tyroleos*, Advocati (*Vogt*) Eccl. *Aquilejensis*, *Tridentinae* et *Brixinensis*, qua Possessiones Coenobii *Sitticensis* in 4. Pagis sitas petente Abbate et Conventu ad triennium in tutelam et curam recipit. Data est: *In Vngerspach Anno Domini MCCCV. Indict. III. die XV.* Sine Mense. 2) *Meynhardi* Comitis *Goritiae* et *Tyroleos*, qua dicto Coenobio Jurisdictionem, Jus Telonii, Venationis et reditus e Vectigalibus (*das phennyg recht, das ist cze Laubach*